

jährungszeit von zehn Jahren <sup>1)</sup> in Kraft, tritt aber nach demselben durch die eingetretene gegentheilige Gewohnheit ausser Wirksamkeit.

Dies sind, in Kürze dargestellt, die Grundsätze der katholischen Moralthologie über die Gewissensverpflichtung der menschlichen Gesetze. Dem freundlichen Leser bleibt es nun überlassen, vorurtheilsfrei zu untersuchen und zu entscheiden, ob und in wie weit die Gesetzgebungspraxis mit diesen Grundsätzen in einem harmonischen oder disharmonischen Verhältnisse steht.

## De vera aetate Liturgiarum Ambrosianae, Gallicae et Gothicae.

Auctore R. P. D. Francisco Beda Plaine, O. S. B.

(Appendix ad articulum eiusdem auctoris: De Canonis Missae Apostolicitate etc. vide fasc. I., II. et III. h. ai.)

Ecclesia catholica incoepit ab unitate Liturgica, saltem quoad essentialia relate ad formas Eucharistiae et aliorum sacramentorum. Nam Apostoli, ante eorum separationem, eodem modo celebrare debebant fractionem panis, eodemque modo administrabant Baptismum et alia sacramenta, tum ad bonum ordinem, tum ad vitandum scandalum. Haec unitas vero non disparuit statim ac Christi discipuli ab invicem sunt divisi, orbem terrarum inter se partientes, sed potius transmitti debuit diversis regionibus, quae luce veritatis tunc temporis illustratae fuerunt. Immo etiam meo iudicio non graviter alterari debuit, quamdiu viguit lex secreti, id est per quatuor priora Ecclesiae secula, ut eruitur ex ipsa lege secreti, quae exigebat uniformitatem ex parte episcoporum et sacerdotum et insuper ex testimoniis supra allatis Basillii et Cyrilli Hierosolymitani pro Oriente <sup>2)</sup> et Sanctorum Augustini, Innocentii et Coelestini pro Occidente. Quocirca asserui cum multa fiducia Canonem Missae Romanum vim legis habuisse ubique nostri Occidentis initio quinti seculi, sed mihi opponitur sententia auctorum, qui opinantur Liturgias Ambrosianam, Gallicam et Gothicam incoepisse quarto seculo mediante, si non antea, illasque principaliter ortas esse ex Liturgiis Orientalibus non ex Liturgia aut Canone Romanis. Quocirca nunc requiram utrum talis opinio rerum veritati sit conformis, an potius omnino contraria. De ritu tamen Am-

<sup>1)</sup> Manche Canonisten und Moralisten verlangen vierzig Jahre zur Ausserkraftsetzung kirchlicher Gesetze vermöge einer gegentheiligen Gewohnheit. Mehrere dagegen, unter denen auch Benedict XIV. (De syn. dioecesis. lib. XIII. cap. 5 n. 4.) sich befindet, sagen, dass wie für die bürgerlichen so auch für die kirchlichen Gesetze zehn Jahre hinreichend seien.

<sup>2)</sup> Si mihi objicerentur ritus et consuetudines, qui indicantur in libro de Doctrina apostolorum, in Constitutionibus apostolicis, in Peregrinatione Silviae Romanae et similibus, responderem in his non agi de forma Eucharistiae seu aliorum sacramentorum: de qua re unice ego nunc loquor.

brosiano silere possum, siquidem in eo Canon missae idem fere est de verbo ad verbum ac in Romano, et monumenta hujus ritus non sunt decimo seculo antiquiora.<sup>1)</sup> Sed taceri non potest s. Ambrosium, cujus iste ritus prae se fert nomen, Romanum esse genere et educatione. Ritus Romanum optime noverat, nunquam vero in suis scriptis, non exceptis libro de mysteriis et epistola 22a, a ritibus romanis discrepat. Plane e contra concordat in re, signis, symbolis et verbis; Quae quidem concordia non posset explicari, si tempore episcopatus Ambrosii ritus quidam novus ab Auxentio jam institutus fuisset et tam alte et late radices fixisset ut jam implesset Galliam et Italiam septentrionalem.<sup>2)</sup> At de duplici ritus Gallicani et Gothici vera aetate paulo amplius disseram non nisi tamen in quantum isti ritus attinent ad Canonem Missae Romanae et ejus usum.

Et primo quaedam de vero statu rerum quoad dictum Canonem in Gallia, sub Romanis Pontificibus Innocentio primo, Coelestino et Gregorio Magno.

§ 1. Ritus gallicanus in quinto et sexto seculo Romanus erat substantialiter, nec a Canone Romano Missae diversus.

S. Innocentius Papa, loquens generaliter de usibus Liturgicis, qui vigeant seculo quinto ineunte dicebat explicite: „Quis nesciat aut non advertat id quod a Principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum.“<sup>3)</sup>

S. Coelestinus similiter Papa in eodem sensu scribebat viginti annis postea episcopis Galliarum: „o b s e c r a t i o n u m sacerdotalium respiciamus sacramenta, quae ab Apostolis tradita, in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur.“<sup>4)</sup>

Inmixtis testimoniis tam expressis, fiducialiter existimabam Galliarum Ecclesias non incoepisse paulatim introducere aliquid praeter usum Romanum, nisi quinto seculo mediante; neque judicabam diversitatem inter Romanum et Gallicanum in tantum increvisse ut etiam Canon Missae Romanae totaliter desereretur, nisi in septimo vel octavo seculo. Sed contrariam sententiam recenter amplexatus est auctor libri, cui titulus: *Les Origines du culte chretien*. Secundum istum auctorem, Liturgia Gallicana, sub quo nomine ab eo comprehenduntur simul Ambrosiana et Gothica caractere orientalis est, et introducta fuit mediante seculo quarto opera Auxentii Episcopi Mediolanensis, qui a partibus orientalibus

<sup>1)</sup> Duchesne *Origines du Culte chretien* p. 151 et seq.

<sup>2)</sup> *Ibid.* p. 81—92.

<sup>3)</sup> *Epist.* XXV. n. 2.

<sup>4)</sup> *Epistola* XXI, 12.

venerat.<sup>1)</sup> Verum si asserere tam alta voce res est facilis, congerere testimonia authentica et ex eis contexere solida argumenta difficilius mihi videtur. Ea quidem requiro apud dictum auctorem, et nihil invenio nisi asserta sine fundamento. Etenim quidquid fere affirmat auctor operis citati de Liturgia Gallicana in speciali, pro fundamento habet Epistolam quandam sine nomine auctoris, quam attribuit S. Germano Parisiensi.<sup>2)</sup>

Item fere quidquid asserit de Liturgia Gothica speciatim considerata pro fundamento habet quemdam locum s. Isidori.<sup>3)</sup> Porro in isto loco Doctor Hispalensis de Missa Romana loquitur, non de Missa Gothica, ac proinde quidquid super eum astruitur ab auctore Parisiensi, ruinosum est, ut ostendetur in §§ sequenti. Sed prius ostendendum est epistolam s. Germano Parisiensi attributam nihil revera esse nisi scriptum apocryphum octavi seculi.

Res mihi videtur indubia, nam iste anonymus descripsit quemdam statum Liturgiae Gallicanae ita diversum a ritibus Romanis ut ejus abrogatio feret quasi necessaria, dum e contra vivente Germano Episcopo Parisiensi, consuetudines gallicanae tamquam legitimae laudabantur a s. Gregorio Magno in Epistola valde celebri. Loquor de Responionibus Sancti Pontificis interrogationibus ejus discipuli Augustini Cantuariensis. Iste S. Gregorium interrogaverat modo sequenti: „Cum una sit fides, cur sunt ecclesiarum consuetudines tam diversae, et altera consuetudo Missarum in Romana Ecclesia, altera in Galliarum ecclesiis“.<sup>4)</sup>

Huic interrogationi respondet Gregorius simpliciter et sine furo:

„Novit Fraternitas tua Romanae Ecclesiae consuetudinem, in qua enutritus es, sed mihi placet ut sive in Romana sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, eligas et in Anglorum Ecclesia . . . infundas.“<sup>5)</sup>

Authenticitas hujus epistolae nunquam hucusque in dubium revocata fuerat, quippe quae a Beda fere de verbo ad verbum inserta erat.<sup>6)</sup> Sed novus historicus Liturgiae Gallicanae aliter de ea sentit eamque audacter inauthenticam declarat sub vano praetextu, quod circa annos 715—720 in archivio romano adinveniri non possit<sup>7)</sup> quasi res forsitan non contigisset sola incuria chartarii sed ratio minimi pretii est, et Epistola s. Gregorii authentica

<sup>1)</sup> Duchesne, ouvrage cité p. 80—88, et alibi.

<sup>2)</sup> Patrol. lat. t. LXXII p. 89—99.

<sup>3)</sup> De Ecclesiast. officiis 1, XV.

<sup>4)</sup> Regest. XI, 64.

<sup>5)</sup> Regest. XI, 64.

<sup>6)</sup> Hist. Eccles. lib. 2. c. 27.

<sup>7)</sup> Origines du Culte chretien p. 94—96.

reputari debet. Solummodo Liturgia Gallicana non erat ea, vivente Gregorio, quam abrogarunt in octavo seculo ejus successores, nec in interrogatio Augustini pro objecto habebat quasdam consuetudines Missarum, in quibus deerat textus Canonis Missae — sicut fit in epistola apocrypha s. Germani, et quo casu eas damnasset Gregorius — versabatur vero simpliciter circa aliquot ritus mere accidentales (locum recitandi nomina, dandi pacem et similia). Proinde ritus Gallicanus in diebus s. Augustini Cantuariensis, Romanus erat substantialiter, diversus tantum accidentaliter.

De facto si conferantur antiqua documenta Liturgiae Gallicanae<sup>1)</sup> cum documentis analogis Liturgiae Romanae, multae res inveniuntur uniformes seu identicae etiam quoad litteram in Collectis, Praefationibus etc. dum nihil prorsus simile reperiri potest in Liturgiis Orientalibus. Insuper quod est in tractatione presenti majoris pretii, Canon Missae Romanus suum locum habebat in ritu Gallicano juxta haec dicta documenta, sola differentia inter utrumque ritum sub hoc respectu in eo aderat quod Canon Romae quotidianus erat, in Gallis vero aliquot vicibus omittebatur, aliis autem dicebatur de more consueto.<sup>2)</sup>

Item si sedulo evolvantur et scrutentur scripta s. Gregorii Turonensis et Fortunati Pietaviensis, in quibus tam multa passim de ritibus liturgicis proferuntur, nihil omnino reperietur, quod faveat sententiae abbatis Duchesne. Nunquam alteruter supposituit varietatem rituum tunc temporis exstitisse inter Romam et Gallias, immo uterque declarat sat explicite eundem Canonem in utraque regione inservisse pro confectione sacrorum mysteriorum Corporis et Sanguinis Christi. Etenim primus loquens expresse de ista re sanctissima: „Ventum est, inquit, ut sanctum munus, juxta morem catholicum signo crucis superposito benediceretur.“<sup>3)</sup>

Porro si tenor consecrationis gallicanae jam, vivente Gregorio, idem fuisset ac erat apud Auctorem Expositionis Missae Gallicanae, nonne aliter locutus fuisset iste historicus? Quomodo (Italice) mos catholicus vocari potuisset ritus quidam totaliter diversus a Romano et unice citra Alpes usitatus? Fortunatus ex altera parte, quaedam referens de missa celebrata a S. Martino in urbe Turonensi utitur verbis tam precis, ut mihi videatur alludere orationibus Te igitur, et (italice) quam oblationem Canonis Missae Romanae.

<sup>1)</sup> Pauca sunt numero sed sufficiunt ad nostrum propositum: 1. Missale Gothicum (VII. seculi). Patrol. lat. t. 72 p. 225—317. — 2. Missale Gallicanum vetus (VIII. s.) ibid. p. 335—381. — 3. Sacramentarium Bobiense (VII. s.) a Muratorio editum. — 4. Missae a D. Mone editae. Ibid. t. 138 p. 863 et seq. — Lacinae tantum sunt istae fere sine coherencia, unde ex eis nihil potest concludi circa usum Canonis.

<sup>2)</sup> Canon Romanus indicatur in Missali Francorum sub numero 23, in Gallicano pro feria quinta in Coena Domini n. 17, in Bobiensi n. 1 etc.

<sup>3)</sup> Vitae Patrum, XVI, 2.

En ejus verba:

„Nobile quin etiam ex-praefecto Arborius effert  
Signum, quod vidit se teste fidelis in urbe.  
Immaculata Deo cum dona imponeret arae  
Et pater attonitas ceremonia diva sacraret  
Munera, vel Christi benediceret ore sacerdos.  
Imposita altari, rata corporis atque cruoris  
Emicuit subito manus alma decore superbo.<sup>1)</sup>

Istae expressiones: immaculata dona, diva munera commemorant meo iudicio orationem: Te igitur, in qua dicitur: uti accepta habeas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia immaculata: sicut aliae: rata corporis atque cruoris, intelligibiles essent si non haberentur quasi imitatio orationis: Quam oblationem: in qua petitur ut oblatio nostra sit rata, rationabilis . . . et nobis corpus et sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi. Unde sat clare patet Canonem Missae Romanum vim legis tunc temporis habuisse in Gallia sicut in diebus Coelestini et Innocentii: Porro Gregorius Turonensis et Fortunatus Pictaviensis coaevi erant Germani Parisiensis, immo ejus familiares et ejusdem sententiae circa modum celebrandi sacra mysteria assertores, ac proinde epistola, quam invocat novus historicus Liturgiae Gallicanae, prorsus reputari debet apocrypha et sine valore quoad statum istius Liturgiae in sexto seculo. Istius vero statum eadem repraesentat qualis erat in octavo seculo, id est, quando amore novitatum impulsu episcopi Galliarum Canonem Missae Romanum et similia deseruerant ut aliquos ritus, ex Oriente forsitan pro parte allatos, in suis ecclesiis introduxerent: unde opportunum visum fuit Romanis Pontificibus ut hujus Liturgiae, quae viam forsitan Schismati aperiebat, abrogationem procurarent. Sed ab initio res aliter se habebant. Origine Liturgia gallicana minime Orientalis erat, merus vero et simplex ramus Liturgiae Romanae.

Nunc pauca de Liturgia Gothica, in qua equidem Canon Missae Romanae ultimis temporibus non jam habuit locum suum sed ex altera parte toto coelo aberrant auctores, qui autumant hanc Liturgiam a s. Isidoro Hispalensi laudatam esse, dum revera de Missa et de Canone Romanis loquebatur Sanctus Doctor.

§§. 2. Gothicam Missam S. Isidoro posteriorem esse astruitur. ·

Gothica missa magnam cum Gallica sine dubio habet affinitatem. In hoc tamen ab ea praecipue discordat quod illa posterius Canonem Missae Romanum deseruit, dum Gallica cum isto incoepit in sexto seculo, nec eundem deseruit nisi partim et multis post annis. Sed iste character non est indicium antiquitatis in favorem Liturgiae

<sup>1)</sup> De Miraculis S. Martini, IV, V. 305—311.

Gothicae, e contra probat indirecte eam non ad suum ultimum pervenisse statum nisi octavo cursum suum vergente seculo. Aliunde non est hic locus multa de hac re disserendi et congerendi testimoniorum multitudinem. Sufficiat mihi afferre duplex testimonium s. Isidori Hispalensis, et Patrum Concilii Francofurtensis circa ultimos annos octavi seculi habiti.

Hoc ultimum testimonium primo loco proferam. Liturgia enim Gothica in causam vocata est in hoc concilio, ut scitur, quasi favens haeresi Nestoriana: Porro eam uno ore asseruerunt accusatores et defensores, tamquam editam opera Sanctorum Patrum venerabilium Toletis deservientium.<sup>1)</sup> Alibi nominatim hi Patres vocantur Eugenius, Hildephonsus, Julianus, Toletanae sedis antistites .<sup>2)</sup>, qui hanc sedem tenuerunt solummodo post mortem s. Isidori. Unde consequenter dicta Missa non potest esse antiquior septimo seculo. Sed audiamus ipsum Isidorum. Verba ejus, nisi fallor, clariora sunt omnibus aliis testimoniis, quidquid in contrarium dixerint Pinius, Leslius et recentissime abbas Duchesne in suo scripto: *Origines du Culte chrétien.*<sup>3)</sup>

En locus integer S. Isidori:

„Ordo Missae et orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.

Prima earundem oratio admonitionis est erga populum, ut excitentur ad exorandum Deum. Secunda Invocationis ad Deum est ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationesque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, sive pro fidelibus defunctis, ut per idem sacrificium veniam consequantur.

Quarto infertur post haec pro osculo pacis, ut charitate reconciliati omnes invicem digne Sacramento Corporis et Sanguinis Domini consociantur, quia non recepit dissensionem cujusquam indivisibile Corpus Christi. Quinta denique infertur illatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam et ad Dei laudem, terrestrium creaturarum virtutumque coelestium universitas provocatur, et Hosanna in excelsis cantatur, quod Salvatore de genere David nascente, salus mundo usque ad excelsa pervenerit.

Porro Sexta ex hinc succedit Conformatio Sacramenti, ut oblatio, quae Deo offertur, Sanctificata per Spiritum Sanctum, Christi Corpori et Sanguini conformetur. Harum ultima est oratio, qua Dominus noster discipulos suos orare instituit.<sup>4)</sup>

Haec sunt verba s. Doctoris, quem Hispania jure merito vocat suum lumen et praecipuum decus. Utrum vero tractet

1) Epistola Elipand. n. XI. Patrol. lat. t. XCVI, p. 874.

2) Epistola Synodica dicti concilii, initio.

3) Duchesne: Libro citato p. 198, 201, 202, 204, 207.

4) De Ecclesiasticis officiis, 1, 15.

de missa Gotica, an de Romana, adhuc sub iudice lis est. Mihi videtur certum Isidorum hic non de missa gothica loqui. Nam in hoc ritu Introitus vocatur nomine exotico: Officium, Graduale vero Psallenda, et offertorium, Sacrificium dum apud Isidorum sub nominibus antiquis et ubique receptis eadem designantur.<sup>1)</sup> Insuper ritus evangelicus fractionis panis deest apud Isidorum, licet sit unus ex solemnioribus dictae missae.<sup>2)</sup>

Tandem, quod multo incredibilius videtur, enormis mendacii reus esset Doctor Hispanus, si probe conscius diversarum consuetudinum liturgicarum, quae suis diebus in rebus accidentalibus vigeant<sup>3)</sup> ausus fuisset contra rerum veritatem asserere ritum Gothicum a s. Petro institutum fuisse, et ubique vim legis habere. Hinc nunc conferam locum praefatum s. Isidori cum Missa Romana ut agnoscatur perfectam inter utrumque existere concordiam sine ulla mixtione defectuum, de quibus supra egi relate ad ritum gothicum, tribus tamen ex septem praefatis orationibus ab Isidoro extra ordinem regularem positis.

In primo loco animadvertendum est Missam, juxta Isidorum — in qua re concordat cum S. Ambrosio superius citato — non incipere nisi dimissis Catechumenis.<sup>4)</sup> „Hinc prima orationum missae, quae „admonitionis est erga populum ut excitentur ad exorandum Deum plane invenitur in Missa Romana, quando sacerdos ante offertorium dicit: Oremus, seu ante Secretam: Orate fratres. Secunda vero in quinto loco quaerenda est et vocatur apud nos Praefatio: nam illatio inductionis est juxta Isidorum<sup>5)</sup>, seu introductionis, id est, praefationis. Quidquid sit de hac synonymia, verba S. Isidori optime conveniunt Praefationi Romanae, „quae revera infertur in sanctificatione<sup>6)</sup> oblationis, in qua etiam et ad Dei laudem terrestrium creaturarum, virtutumque coelestium universitas provocatur et Hosanna in excelsis cantatur.“

Optime etiam tertio loco ponatur secunda oratio, „quae invocationis ad Deum est, ut elementer suscipiat preces fidelium, oblationesque eorum“ siquidem oratio Te igitur nullum aliud habet objectum, et expresse dirigitur ad Clementissimum Patrem.

Consequenter tertia quartum numerum attingit in qua „oratio effunditur pro offerentibus, sive pro fidelibus defunctis ut per

<sup>1)</sup> Etymologiar. lib. VI. c. XIX, n. 7, 8, 24; De Ecclesiast. officiis, 1, 7, 10, 14.

<sup>2)</sup> Asseri potest ritum illum qualis invenitur apud Mozarabes cum hostia novies partita, graviter peccare contra simplicitatem antiquitatis.

<sup>3)</sup> Confer quae dicit de Alleluia (De Eccles. officiis, 1, 13) etc.

<sup>4)</sup> Etymologiar, VI, XIX, n. 4. Hic adest novum discrimen inter Isidorum et ritum gothicum ejus missa tacet de Catechumenis.

<sup>5)</sup> Etymolog. lib. 2, 9, n. 6.

<sup>6)</sup> Aliqui codices ferunt: ante sanctificationem.

idem sacrificium veniam consequantur.“ Quibus verbis clara indicatur duplex recordatio vivorum et defunctorum, qua olim iungebantur et de facto sequitur orationem Te Igitur in Canona Romano, ut ostensum est superius. Sexta oratio e contrario quartam S. Isidori praecedet, et quinta apud nos nuncupabitur, sed convenientissime nuncupatur: conformatio Sacramenti nam revera quando sacerdos recitat orationem: quam oblationem usque ad verba: Unde et memores oblatio, quae Deo offertur, sanctificata per Spiritum Sanctum, Christi Corpori et Sanguini conformatur.“

Sextum vero locum sumet Oratio, quam Isidorus ponit quarto loco nam „infertur pro osculo pacis ut charitate reconciliati omnes invicem digne sacramento corporis et sanguinis Domini consociantur.“ Etenim in Missa Romana pax datur immediate ante communionem, et unitur ritui fractionis panis.

Quoad orationem dominicam ultima est in utroque ritu, et de ea nihil novi dicendum est. Nunc vero ex his, quae praecedunt, clare eruitur verba allegata dicti Isidori minime aptari posse missae Gothicae, dum e contra plane conveniunt missae Romanae, tribus solummodo e septem Canonis orationibus ad regularem ordinem adductis. Ergo de hac missa sanctus Doctor loquebatur, dum clamabat ore aperto: „Ordo Missae et orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis“. <sup>1)</sup> Nec a rerum veritate discedebat S. Gregorius VII. quando exhortans Hispanos ad recipiendum ordinem et officium Romanae Ecclesiae, asserebat „eos, qui destructa idololatria, Christianitatem in Hispania fundaverant... concordiam cum Roma in religione et ordine divini officii habuisse“. <sup>2)</sup>

Haec pauca sufficiant nostro proposito de vera aetate liturgiarum Ambrosianae, Gallicae et Gothicae. Nam nemo non videt istis Liturgiis etiam jam non posse attribui tam altam antiquitatem, ut quintum seculum ipsae attingant; unde patet, illas in quantum attinet ad Missae Canonem apostoliceitatis Canonis Missae Romani minime nocere, eam e contrario indirecte attestari.

## Ein Beitrag zur Geschichte der ehemaligen Salzburger Benedictiner-Universität.

Von Alois Joseph Hammerle.

(Schluss zu Heft III. 1894. S. 445—461.)

Ao. 1731: 1. Maximilianus Dismas S. R. J. com. de Rindsmaul. — 2. Henricus Antonius com. de Brandis. —

<sup>1)</sup> Isidorus, loco citato.

<sup>2)</sup> Regist. lib. 1, 64 17 mart. 1074.